



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Expedita Juris Divini, Natvralis, Et Ecclesiastici Moralis Expositio

Tamburini, Tommaso

Coloniæ Agrippinæ, 1665

De privilegio edendi lacticinia concesso ab Urbano Octavo aliquibus ex
prædictis exceptis, parag. 5.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40132

a Castrop.
tom. 1. dif.
1. de leg. p.
24. §. 3.
nu. 3.
b Sanch. l.
6. Sum. c.
16. nu. 7.

tunc ex communiter contingentibus præsumitur, ratione uti. Ita universaliter a Castrop. Quæ sententia cum certè sit, saltem tutior, est a nobis amplectenda, quam etiam docet in simili Sanch. b

§. V.

De Privilegio edendi lacticia concessa ab Urbano VIII. aliquibus ex prædictis exceptis.

1. Urbanus VIII. Episcopis, & Presbyteris secularibus, qui sunt exclusi ab Indulto lacticiniorum per Bullam communem, illud concessit iisdem (non verò Religiosis) in hunc tenorem.

Venerabilibus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis inferioribus Prælatibus, nec non Presbyteris secularibus dumtaxat, ut Quadragesimali tempore (hebdomada tamen majore excepta) ovis similiter, ac lacticiis, pro eorum libitu, uti, & vesci, indulgemus, data elemosyna per Commissarium Generalem taxanda.

2. Porro circa hanc Bullam (quam vocate solemus Bullam parvam, vel Bullam lacticiniorum) multa essent inquirenda, sed, quia hæc est extensio Bullæ Cruciatæ, ea, quæ superius diximus, hic etiam dicta esse censendum est. Solum igitur aliqua ipsius propria sunt hic proferenda, Quare.

§. Inquires Primò. Quanta elemosyna eroganda est pro hac Bulla? Respondeo. Commissarius Generalis sequentem taxam constituit. Memineris autem Realem esse unum tarenum moderatæ Siculæ, grana quatuor, & ejuldem grani partem quartam.

Pro Episcopis, & c. & Abbatibus Reales 24

Pro Dignitatibus Canonicalibus Ecclesiarum Cathedralium, vel Collegiarum Reales 8.

Pro illis, qui gaudent Portionibus, vel Portionum medietatibus, & pro Beneficiariis curam habentibus animarum, vel non habentibus, quorum redditus annuus sit scutorum trecentorum, Reales sex.

Pro habentibus Beneficium, Capellaniam, vel Portionem, quorum redditus annuus non minus sit, quam scutorum trecentorum Reales sex.

Pro Clericis, & Presbyteris secularibus Reales duos.

4. Inquires Secundò. Virtute hujus Bullæ,

quam quis hic recipit, uti ne potest lacticiis extra regnum, & c. Respondeo e nequaquam, nam hæc Bulla cum sit extensio prioris, seu communis Bullæ, intelligitur cum eadem limitatione, qua illa est.

Inquires Tertio. Quando hic excipitur Hebdomada major, excipitur ne etiam Dominica Palmarum: Respondeo. Excipitur. Unde, ex vi hujus parvæ Bullæ, non possunt prædicti lacticiis vesci ea Dominica. Nam cum qualibet Hebdomada constet septem diebus manifestum est, Dominicam includi in hebdomada. Dixi (ex vi hujus parvæ Bullæ) nam, quia probabile est, cum Bulla communi licite posse comedi lacticia à prædictis Personis exceptis, in Dominicis Quadragesimæ, ut supra diximus §. 4. nu. 15. Ideo qui ex dictis personis illam communem habet, poterit & ex vi illius Bullæ ea comedere in dicta Dominica Palmarum.

6. Inquires Quarto. De quorum bonorum reditu intelligitur, quando, in taxa, bonorum, annuorum, fit mentio? Respondeo, bonorum Ecclesiasticorum, hoc est, bonorum, quæ quis habet ab Ecclesia, seu ratione beneficii Ecclesiastici, deductis oneribus, quæ fortè sint in illo beneficio. Quare si quis habeat bona Patrimonialia, vel propria industria conquistata, quantumvis pingua, si tamen id, quod habet ratione beneficii, Portionis, Pensionis, & c. non accedat ad redditum annuum in prædicta taxa definitum eam majorem elemosynam dare pro hac parva Bulla non obligabitur.

7. Inquires Quintò. Si Episcopi, Abbates, ut item Dignitates Canonicales, pro quibus non fit mentio quantitaris bonorum Ecclesiasticorum, pauca habeant, hoc est, habeant bona Ecclesiastica non pertinentia ad annum redditum scutorum trecentorum, obligantur ne taxam 25. vel 8. Realium contribute pro hac Bulla?

Respondeo. Obligantur, quia dum Commissarius taxavit elemosynam pro his, non respexit ad redditus, sed solum ad Dignitatem. Addit & Gallegus, hos obligari ad prædictam taxam, etiam si nihil habeant.

8. Inquires Sextò. Coadjutor V. G. Canonici, vel cujuscumque Beneficiarii venit nomine Canonici, vel Beneficiarii, ita ut debeat dare elemosynam constitutam pro illis, quorum est Coadjutor?

Respondeo. Nequaquam quia Coadjutor

e Galleg.
claus. 6.
du. 53.

d Gallo. l. e.
dub. 55.
Trull. in
Appen. n.
12.

e Galleg.
ib. d. 56.
Trull. ibid.
num. 13.

f Trullen.
in exp. sit.
hujus Bul.
parva n.
14.

g Gall.
claus. 6.
d. 57.

non est vere Canonicus, vel Beneficiarius, habet enim solum Jus ad rem non in re, ut notat Trullench. loc. cit. num. ult. lege id latius apud Gallegum, *a* qui id confirmat ex Suario, docente, Coadjutorem vivente Proprietario, non esse Canonicum, licet habeat locum in stallis, & vocem in Capitulo, absente Proprietario.

a Galleg. ib. dub. 58.
b Bardi. p. 2. tr. 3. ca. 2. sec. 8. num. 131.
 9. Inquires Septimò. An qui vult frui Indulto hujus Bullæ Lacticiniorum, debeat etiam sumere Bullam communem? Respondeo, nequaquam; *b* quia id non requirit tenor Bullæ: & meritò, hæc enim non dependet necessario ab illa communi; sed est nova declaratio, seu potius nova extensio, novumque privilegium.

c Trull. l. c. num. 9.
 10. Inquires Octavo. Prælati Superiores, V. G. Episcopi, si fuerint assumpti ad Episcopatum ex Religione, gaudent ne Privilegio Lacticiniorum hujus parvæ Bullæ? Ratio dubitandi est, quia ejusmodi Episcopus, quæ Episcopus est, videtur gaudere hoc privilegio, at, quæ Religiosus non videtur; quæ igitur qualitas ex his prævalebit? Respondeo cum Trullench, prævalere qualitem Episcopatus, atque adeò frui hac Bulla posse, quia dignius debet ad se trahere minus dignum. Confirmatur; quia licet, qui assumptus est ad Episcopatum à statu Religioso secum ferat Vota Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ, quæ sunt de essentia status Regularis, tamen non fert obligationes ad cæteras observantias Regulares, quia illæ sunt pro statu, quo vivunt in Religione, ut signate non ferre has obligationes & abstinentias Regulæ docet Sanch. *d*

d Sanch. l. 6. Sum. c. 6. num. 15.
 Immo etiam si Religiosi Sancti Francisci de Paula habeant pro voto abstinentiam à Carnibus, & Lacticiniis, qui tamen ex illis assumuntur ad Episcopatum, ut etiam si quis ex iisdem ejiciatur à Religione per legitimam ejectionem, illo voto non obstringuntur quia illud votum tamen sit de essentia hujus Religionis, est tamen solum pro statu, quo ibi vivunt. Ita discuntur *e* Bardi. Quoniam igitur Episcopus extra Religionem vivit non tenetur ex vi Religionis abstinere ab illis cibis, à quibus debent abstinere in Religione, & consequenter Bulla hæc parva ei prodesse poterit, &c.

e Bardi. l. c. sect. 10. nu. 132.
 11. Cardinalis autem non Episcopus, qui sit presbyter à Religione ad Cardinalatum assumptus, non poterit hac Lacticiniorum

Bulla gaudere, quia ex una parte Religioso nulla sit concessio in hac Bulla; & ex alia nulla in eadem sit concessio meræ Dignitati Cardinalatus, ut patet ex tenore Bullæ. Quod si ejusmodi Cardinalis sit Episcopus, tunc non est mirum, posse gaudere; quia cuicumque Episcopo hæc parva Bulla conceditur.

12. Denique Episcopi, sive Regulares, sive Sæculares, si sint mere Titulares, quia scilicet renuntiaverunt Jurisdictioni Episcopali, gaudere possunt hoc Indulto, quia adhuc retinent dignitatem Episcopalem. At vero si fortè sint degradati, non gaudebunt, quia per Actualem degradationem amittunt omnia privilegia. Si quis autem renuntiavit, tum Jurisdictioni, tum Dignitati, non posse gaudere putat *f* Bardi; quia tunc jam caret omni dignitate. Sed mihi difficilis est hæc Decisio, quia cum in eo semper remaneat Character Episcopalis, nunquam poterit se dignitate Episcopali spoliare.

f Bardi. l. c. sect. 8. num. 111.
 13. Inquires Nono. Quando dicemus infra, in communi Bulla debere scribi nomen ejus, qui illam sumit, eamque debere apud se retinere eo modo, quo ibidem explicabitur, id ne etiam est necessarium in hac parva Bulla? Respondeo, non esse simpliciter necessarium, docet Trullench, *g* quia id in hac Bulla, nec ab ipsa, nec ab ejus Declaratore Commis-

g Trull. l. c. nu. 3.
 sio requiritur.

CLAUSULA NONA.

Item Prædicti Bullam sumentes, qui, diebus Ieiunio non suppositis, ad implorandum Divinum Auxilium pro Vnione, & Victoria prædictis, voluntarium Ieiunium, vel, si Ieiunare impediti legitime fuerint, aliud opus pium, arbitrio eorum Confessarii, vel Parochi, assumpserint, & simul pro Vnione, & Victoria prædictis preces sulerint, toties id fecerint, dicto anno durante, quindecim anni, & totidem quadragena de injunctis eis, & quomodolibet debitis penitentibus misericorditer in Domino relaxentur; & in super omnium precum, elemosynarum, Peregrinationum, etiam Hierosolyma, & aliorum honorum, qua in universali militante Ecclesia, & singulis ejus membris sunt, participes reddantur.

CAPUT